



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 29. Concilium Ravennatense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

siastica feriantur, sed etiam iram Cæsaris Sæculum IX.
A.C. 897.
sentiant. Damnamus etiam perniciosam
consuetudinem, qua Judices Sæculares
vel eorum præfecti mandata de crimini-
bis quærendi pretio accepto aliis ven-
dunt, & si forte feminas adulteras in do-
mo ad Ecclesiam vel ad Clericum perti-
nente deprehenderit, eas capiunt & ver-
beribus afficiunt, usque dum easdem vel
Dominus, vel propinqui caro redimant;
quo factò deinde liberius fornicari non
metuunt, dicentes, quod Episcopi non sit,
de feminis publice castigatis & redemptis
cognoscere. Volumus itaque, ut Episco-
pi liberam habeant potestatem in suis Dia-
cesibus adulteria & scelera secundum
Canones inquirendi & puniendi, & cum
opus fuerit, ad comprimendos rebelles con-
ventus publicos convocandi.

§. XIX.

Concilium Ravennatense.

Concilio isto Romano posterius est a-
 liud, Ravennæ præsentè Lamberto to. 9. Conc.
p. 507.
c. I.
 Imperatore celebratum, in quo decem
 sequentes articuli lecti & approbati. Si
 quis Canones & Capitularia Imperato-
 rum Caroli Magni, Ludovici, Lotharii,
 ejusque filii Ludovici, de decimis contem-
 pserit, & qui dat, & qui accipit, excom-
 municationi subjaceat.

- Sæculam IX. Addidit Imperator; *Si quis Romanus, Clericus vel Laicus, cujuscunque gradus vel ordinis, ad nostram Imperialem Majestatem venire, vel tutelam nostram implorare voluerit, nemo ei adversari audeat, nemo ejus Bona invadat, aut ipsius personam vel in itinere, vel in diversorio laceffit; qui id facere presumpserit, nostram indignationem incurret.* Ceterum nos privilegia S. Romanæ Ecclesiæ fidelissime conservaturos promittimus.
- c. 2.
- c. 3.
- c. 4. Papa vero ad Imperatorem: *Synodus, vestris temporibus in Basilica S. Petri, maxime in causa Formosi Papæ celebrata, tuo, Episcoporum, & Optimatum tuorum consensu roboretur.* De tot criminibus (ideo enim ad tuam auctoritatem confugere compulsi sumus) quæstionem haberi jube, de rapinis, incendiis, latrocinis, quibus regiones nostræ dire vexantur, & quibus usque adeo afflictus sum, ut mors mihi in votis fuerit, ne atrocissimæ calamitatis testis esse cogerer. Ne, quæso, scelus in patria nostra
- c. 6. impune grassari sinas. Pactum a Genitore tuo Guidone felicis recordationis initum confirma. Donationes, quibus patrimonia, aliæque Bona, in alienos
- c. 7. 8. sparsa sunt, rescinde. Seditiosos conventus Romanorum, Longobardorum, Francorum, in Patrimonio S. Petri nostræ
- c. 9. tuæ-

tuæque Auctoritati adversantes prohibe. Sæculum IX.
A. C. 897.
Nihil vero majore dolore pectus nostrum
obruit, quam quorundam improborum
nequitia; cum enim, ad Apostolicum cul-
men Christi gratia evecti, cerneremus,
Ecclesiam S. Salvatoris esse destructam,
eam reparaturi, operas ad trabes cæden-
das misimus, & ecce! quos misimus, im-
perata facere a malevolis prohibiti sunt.
Perpende, obsecro! quam turpe sit pati,
Ecclesiæ Romanæ tam proterve illudi. Il-
lud quoque te non lateat, Ecclesiam Ro-
manam cum extrema paupertate luctari.
Non possumus elemosynas constitutas pro
Regni tui prosperitate largiri. Non
suppetit, unde stipendia Clericorum &
famulorum erogentur.

c. 10.

His Articulis perlectis Papa ad Epis-
copos conversus peroravit. Hortaba-
tur vero, ut commissæ sibi Ecclesiæ cu-
ram gerere unusquisque studeret, adj-
ciens: Cum ad propria veneritis jeju-
nium indicite, Litaniam celebrate, obse-
crantes pium Dominum, ut pacem tri-
buat, schismata & seditiones comprimat,
atque ad exaltandam & conservandam
suam Ecclesiam Lambertum Imperatorem
protegat. Ceterum Ecclesiæ Lateranen-
sis ruina, cujus hic mentio occurrit, ad MS. ap. Pa-
pebr. in
Steph.
tempora Stephani VII. spectat, cum to-
ta ab Altari usque ad portam collapsa
est.